



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 1. De significatione traditionis, et initiis chronologicis Traditionum  
Corbeiensium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**



§. 1.

unctae traditiones (a) quae fuerunt traditae ad reliquias s<sup>ti</sup> stephani temporibus domni abbatis adalardi (b).

§. 2.

Folcheri et delheri duo fratres tradiderunt tertiam partem de omni proprio quidquid pater et mater eis dimisit siue

- (a) Traditionis vocabulum duplici sensu usurpari solet, ecclesiastico nempe et politico. Priori modo traditionem eminentissimus cardinalis Bellarminus Lib. IV. de Verbo Dei cap. 2. ita definit, quod sit *doctrina (ecclesiae) non scripta, non quidem, quod nusquam sit scripta, sed quod non sit scripta a primo auctore.* In hoc sensu traditionis vocabulum hic non sumitur, sed in sensu politico, indicaturque per illud nihil aliud, quam donatio seu oblatio alicuius hominis, et quidem liberi, cui ius et potestas erat aliquid dandi. In Capitularibus regum Francorum, et quidem Lib. VI. cap. 305. ita traditiones describuntur: *oblaciones fidelium dicuntur, quaecumque domino a fidelibus offeruntur, siue in mancipiis, siue in agris, vineis, siluis, pratis, aquis aquarumque decursibus, artificijs, libris, utensilibus, petris, adificijs, vestimentis, pellibus, lanificijs, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus et immobilibus, vel quaecumque de his rebus, quae ad laudem Dei fiunt, vel supplementum sanctae Dei ecclesiae eiusque sacerdotibus, atque ornatum praestare possunt Domino ecclesiaeque, siue a quibuscumque ultro offeruntur Domino, indubitanter consecrantur et ad ius pertinent sacerdotum.* Sunt ergo traditiones Corbeenses nihil aliud, quam donationes seu oblaciones quorundam fidelium, qui obtulerunt bona sua Deo, ecclesiae Corbeiensi, eiusque Sanctis Stephano scilicet, Vito, Justino et reliquis; hinc pertinentia ad ius abbatis et conuentualium Corbeiensium. Solemnitatem seu processum circa huiusmodi oblaciones seu traditiones rursus non nostris, sed Capitularium regum Francorum, omni exceptione maiorum, verbis exprimimus. Sic enim illa Lib. V. capit. 285. *Quisquis nostrum res suas ecclesiae tradit, domino Deo illas offert et dedicat, suisque sanctis, et non alteri, dicendo et agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, et ipsam scripturam coram altari aut supra tenet in manu, dicens eiusdem chori sacerdotibus et custodibus: offero Deo atque dedico omnes res, quae hac in chartula tenentur insertae, pro remissione peccatorum meorum ac parentum et filiorum, aut pro quocumque illas Deo dedicare voluerit, ad seruendum Deo ex his in sacrificijs missarumque solemnibus, orationibus, luminariis, pauperum et clericorum alimoniis, et ceteris diuinis cultibus atque illius ecclesiae utilitatibus.*

De usu traditionis ac vocis significatione.

- (b) Reuerendissimo Adalardo, ex canobio Corbeia in Francia abbati, mandatum de- De initiis